



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

nam naturam, non solum fuit reparator naturæ, sed etiam gratiæ propagator, affuit etiam ei tertia cognitio, quæ plenissime cognovit quidquid ad mysteria gratiæ potest pertinere. Quibus verbis duplicem scientiam infusam in Christo agnoscit, unam naturalem, & ad objecta naturalia terminatam; alteram supernaturalem, & ad mysteria gratiæ, seu objecta supernaturalia se extendentem. Unde hic quæ 1. art. 1. docet per scientiam divinitus Christo inditam, fuisse reductam ad actum, non solum potentiam obedientiæ quæ potest anima supernaturalia cognoscere, sed etiam potentiam naturalem, quæ potest intelligere quæcumque pertinent ad scientias humanas.

His locis S. Doctor non solum conclusionem nostram aperte docet, sed etiam ad illam suadendam, duplicem rationem insinuat. Prima est: Nulla perfectio aliis creaturis concessa, est neganda animæ Christi: Sed in Angelis reperitur duplex scientia per se infusa, una supernaturalis, per quam objecta supernaturalia extra verbum cognoscunt; alia naturalis, quæ res naturales in seipsis contemplantur, per species quas a Deo in creatione receperunt: Ergo etiam in Christo duplex illa scientia per se infusa, insinuatenda est.

Dices, Majorem esse veram, si sit in humanitate Christi ad omnem illam perfectionem naturalem capacitas; falsam autem, si non sit in illa capacitas naturalis ad aliquam ex illis perfectionibus; animam verò Christi, utpote conjunctam corpori, non esse capacem ad recipiendas species rerum naturalium, non dicentes ordinem ad phantasmata, subindeque per se infusas, bene tamen Angelos, quia sunt substantiæ separata, & independentes à corpore.

Sed contra primò: Animæ separata debetur modus cognoscendi independens à phantasmate, quia in illo statu est independens à corpore, & modus operandi sequitur modum essendi, ut docet D. Thomas 1. part. quæ 9. art. 1. Sed anima Christi Domini, esto sic corpori unita, est tamen independens ab illo, illique quoad cognitionem non subdita, ratione status beatifici, ut asserit idem S. Doctor hic art. 2. Ergo debitus est illi modus cognoscendi à phantasmate independens.

Confirmatur: Anima Christi Domini solum fuit corpori subdita in his quæ ad salvandum redemptionis nostræ mysterium necessaria fuere, ideo enim impassibilitas non transiit ex anima ad corpus, ut locus nostræ redemptioni per mortem & passionem daretur: Sed quod à corpore in omni cognitione naturali dependeret, non erat ad finem redemptionis necessarium: Ergo talem dependentiam non habuit.

Confirmatur amplius: Anima puri viatoris, quando est corpori conjuncta, non solum pendet à corpore, & à phantasmatibus in naturali cognitione, sed etiam in supernaturali, & tamen anima Christi, quia non solum erat viator, sed etiam comprehensor, à phantasmatibus per se non dependebat in cognitione supernaturali, ut communiter docent Theologi: Ergo non dependebat ab illis per se in omni naturali cognitione, sed aliquam habuit à corpore omnino independentem, subindeque mediis speciebus naturalibus per se infusis elicitam.

Secunda ratio quam insinuat S. Doctor hic art. 1. sic potest proponi. Omnis potentia receptiva animæ Christi debuit ad actum reduci, ne im-

perfecta post assumptionem maneret ejus humanitas: Atqui anima Christi non solum erat in potentia obedientiæ ad cognoscenda objecta supernaturalia in verbo, sed etiam extra verbum, & ad cognoscenda objecta naturalia, non solum per species à phantasmatibus abstractas, sed etiam per species à Deo infusas, sicut Angeli & animæ separata à corpore ea cognoscunt, ut patet ex dictis ratione præcedenti, & docet expressè S. Thomas quæ 20. de verit. art. 3. ad 1. his verbis: Cum Christus esset comprehensor & viator, habuit utrumque modum considerandi, unum quo Angelus conformabatur, ut sine discursu consideraret, alium quo per conversionem ad phantasmata. Ergo in Christo duplex fuit scientia infusa, una naturalis, & alia supernaturalis.

Confirmatur: Pertinet ad dignitatem animæ Christi omnis intellectualis perfectio, quæ potest animæ rationali in aliquo statu convenire, dummodo cum unione ad Verbum aut cum visione beatifica, aut cum aliqua altera maiori perfectione incompatibilitatem non habeat: Sed cognitio rerum naturalium & supernaturalium, per species à Deo infusas, quæ competit Angelis, & animæ rationali in statu separationis, nec cum unione ad Verbum, nec cum visione beatifica, nec cum altera maiori perfectione, habet incompatibilitatem: Ergo illa animæ Christi attribuenda est, ut magis ex argumentorum solutione patebit.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra præcedentes conclusiones objicitur primò: Scientia infusa in Christo est otiosa & superflua: Ergo non est admittenda. Consequentia patet, gratia enim non minus abhorret à superfluo, quam natura. Antecedens probatur: Per scientiam beatam expletur & satiatur omnis potentia obedientialis animæ Christi in ordine ad objecta supernaturaliter cognoscibilia, & per scientias acquisitas satiatur ejus potentialitas naturalis in ordine ad cognoscibilia naturaliter: Ergo superflue constituitur in illa scientia per se infusa, à beatifica, & à scientiis acquisitis distincta.

Respondeo negando. Antecedens, ad ejus probationem dicendum, quod licet per scientiam beatam satiatur potentialitas animæ Christi in ordine ad objecta supernaturalia, quantum ad numerum scitorum, non tamen expletur, quantum ad modum sciendi & cognoscendi eadem objecta: Etenim duplex potentialitas obedientialis erat in anima Christi in ordine ad objecta supernaturaliter cognoscibilia. Prima erat ad cognoscenda hæc objecta in verbo, & hæc potentia obedientialis expleta fuit & satiata per scientiam beatam. Altera ad cognoscendum eadem objecta extra verbum, quæ non expletur nisi per scientiam infusam. Idem proportionaliter dicendum est de potentia ad cognoscenda objecta naturalia: illa enim (ut ex D. Thoma supra ostendimus) fuit etiam duplex in Christo, una ad cognoscendas res naturales per discursum, & species à phantasmatibus abstractas; altera ad eas cognoscendas sine discursu, & per species à Deo infusas: prima expleta & satiata fuit per scientias naturales acquisitas, secunda verò non nisi per scientiam naturalem infusam expleri potuit. Et ita duplex scientia infusa (ut in secunda conclusione monstravimus) in Christo admittenda

mittenda est: una supernaturalis, per quam ob-
jecta supernaturalia extra verbum contempla-
tur; altera naturalis, quā cognoscit res naturales
per species à Deo infusās similes his quæ Angeli
in sua creatione à Deo receperunt.

21. Dices, Non datur in Deo duplex ille modus
cognoscendi res in verbo, & extra verbum, cum
omnia solum in sua essentia tanquam in causa
cognoscat, ut in Tractatu de scientia Dei contra
asseriores scientiæ mediæ ostensum est: Ergo pa-
riter in Christo admitti non debet.

Disp. 2.
art. 2.

Sed negatur consequentia & paritas, ob du-
plicem rationē discriminis. Prima est, quia cum
non repugnet intellectui creato animæ Christi
specificari à creaturis, benè tamen intellectui di-
vino & increato, potest anima Christi videre
creaturas extra verbum, & immediate in seipsis,
Deus verò nihil extra seipsum, & independenter
ab essentia divina prius cognita potest cognos-
cere, ut loco citato variis rationibus demon-
stravimus. Secunda est, quia in intellectu divino,
utpote infinite perfecto, non potest dari duplex
modus cognoscendi creaturas, quorum unus sit
magis, & alter minus perfectus, benè tamen in in-
tellectu humano animæ Christi: modus autem
cognoscendi creaturas extra verbum, & imme-
diate in seipsis, est minus perfectus, quàm modus
eas cognoscendi in verbo, & in essentia divina
tanquam in causa, juxta illud Augustini lib. 22.
de civit. cap. 2. *Cognitio creaturæ in seipsa, decolo-
rator est, quàm cum in Dei sapientia cognoscitur velut
in arte per quam facta est.*

22. Obijciunt secundo: Carentia solum negativa
alicujus perfectionis, non est imperfectio quæ
debeat relegari à humanitate assumpta. Sed
carentia scientiæ infusæ, sive supernaturalis, sive
naturalis, solum est negativa respectu intelle-
ctus Christi: Ergo nullum videtur inconueniens
eam in Christo admittere, subindeque utramque
scientiam infusam illi denegare. Major videtur
certa, nulla enim res dicitur imperfecta, ratione
carentia negativa, sed tantum ratione carentiæ
privativæ, unde in Angelis datur nescientia, quæ
est carentia negativa scientiæ. Minor verò, in
qua est difficultas, quoad utramque partem sua-
detur. Et in primis quod carentia scientiæ infusæ
supernaturalis, negativa sit, videtur manifestum,
carentia enim privativa est negatio formæ debi-
tæ: Sed scientia infusa supernaturalis non est de-
bita intellectui Christi creato, cum de ratione
formæ supernaturalis sit esse supra exigentiam
& debitum omnis naturæ tam creatæ quàm cre-
abilis: Ergo illius carentia non privativa, sed
negativa est.

Quod verò etiam carentia scientiæ infusæ natu-
ralis, non sit privativa, sed solum negativa, sic
ostenditur. Carentia perfectionis non debet hu-
manitati Christi, negativa est: Sed scientia infu-
sa naturalis, non est debita animæ Christi: Ergo
ejus carentia non privativa, sed tantum negati-
va est. Major patet, Minor probatur Perfectio
non connaturalis animæ, non debetur animæ
Christi, prout est in ordine naturæ: Sed intelli-
gere per species à Deo infusās, non est animæ
Christi connaturale: Ergo non est illi debitum.
Probatur Minor: Non est connaturale animæ,
quod per species infusās intelligatur dum est unita
corpori, sed solum postquam est separata, ut do-
cet D. Thomas, qu. unicā de anima art. 15. ad 14.
& 20. & art. 17. ad 2. Ergo animæ Christi quan-
diu fuit corpori unita, non erat connaturale, nec

A connaturaliter debitum, intelligere per speciem
à Deo infusās, & sine conversione ad phanta-
smata.

Huic difficili argumento dupliciter respon-
deri potest, primò negando Majorem, ut docet
D. Thomas hic art. 1. ut anima Christi de
omnino perfecta, oportuit quod omnis ejus po-
tentialitas tam naturalis quàm obediēcialis ad
actum reduceretur: potentialitas autem obedi-
entialis non includit carentiam perfectionis de-
bitæ, sed perfectionis non debite; est enim po-
tentia obediēcialis receptiva formarum trans-
naturalium, quæ excedunt debitum omni na-
turæ tam creatæ quàm creabilis: ac prout na-
solum debuit, ratione unionis ad verbum, ex-
cedit ab anima Christi imperfectio privativa, verum
etiam negativa. Et ratio supra probatione; in-
finuata est: ut enim ibi dicebamus, humanitas
Christi ratione unionis hypotatice fuit debita
Christo, titulo connaturalitatis, omnis perfectio
illi possibilis, quæ non repugnat ejus beatitu-
di, & fini redemptionis humani generis.

Secundò responderi potest, datā Majori, ne-
gando Minorem, ad cuius probationem, con-
cessa Majori, distinguo Minorem, illamque con-
cedo de intellectu Christi nudè considerato, sic-
nim non potest forma supernaturalis ei deberi,
nego autem de intellectu Christi ut assumptio ad
esse Verbi, sic enim omnis forma supernaturalis,
subindeque scientia infusa supernaturalis, quod
connaturalitatis illi debita est, & per consequens
carentia talis scientiæ privativa est comparata
ad intellectum Christi ut assumptum à Verbo.

Vel potest eadem Minor rursus distinguī, &
concedi de intellectu Christi, ratione naturæ,
sic enim forma supernaturalis non potest ei de-
beri: negari verò de intellectu ejus, ut ad ordinē
gratiæ elevato, & ratione gratiæ elevantis; sic
enim formam supernaturalem deberi, illius in-
pernaturalitati non obstat. Christo igitur ut do-
cet D. Thomas opusc. 2. cap. 216. supra citatū
quia non fuit solum reparator naturæ, sed etiam
propagator gratiæ, debentur non solum quæ
sunt debita naturæ secundum se, sed etiam quæ
sunt debita gratiæ, & illa quorum carentia pri-
vativa est, nedum comparatione facta ad natu-
ram, sed etiam quorum carentia privativa est,
collatione facta cum gratiā, ratione debiti ut
illam: licet autem scientia infusa supernaturalis
non debeatur intellectui animæ Christi in parte
naturalibus sumpto; debetur tamen gratiæ in
aliquo sui statu, & ideo fuit debita Christo, illi-
que humanitati, ratione unionis ad Verbum, ut
Cajetanus hic art. 1. & supra qu. 9. art. 3.

Ad id quod additur de scientia infusa naturali
respondeo, concessa Majori, negando Minorem,
ad cuius probationem nego etiam Minorem etiam
probationem illius dicendū, D. Thomam loqui
de anima puri viatoris, huic enim solum dum est
separata à corpore, debetur specierum infusarum
non autem de anima videntis Deum, qualis fuit
anima Christi; nam illi ratione elevationis supra
corpus, orta ex statu beatitudinis, connaturale est
intelligere sine conversione ad phantasmata, &
independentem à corpore, ut docet D. Thomas
hic art. 1. ad 2. & art. 2. in corp. & qu. 20. ad
verit. art. 3. ad 1. subindeque intelligere modo
angelico, & per species à Deo infusās. Ut
licet anima puri viatoris, unita corpori, in co-
gnitione nedum naturali, sed etiam supernatu-
rali, ad phantasmata convertatur, & hinc hinc

conversione non possit connaturaliter in ordine gratiæ intelligere; certum tamen est, & communiter à Theologis receptum, animam Christi Domini, ratione elevationis supra corpus, orta ex visione beatifica, & statu beatitudinis, quæ gaudebat à primo instanti productionis & unionis cum corpore, objecta supernaturalia sine conversione ad phantasmata connaturaliter intellexisse. Idem dicendum de cognitione naturali, quamvis in ista etiam usus fuerit conversione ad phantasmata, & speciebus ab illis abstractis beneficio intellectus agentis; ne talis potentia esset in ipso otiosa & frustranea, ut disputatione sequenti patet.

§. III.

Corollarium præcedentis doctrinæ

EX dictis colligitur, scientiam per se infusam, sive naturalem, sive supernaturalem fuisse Christo inditam à primo instanti suæ conceptionis: Tum quia talis scientia data est Christo ratione unionis hypostaticæ: hanc autem à principio conceptionis habuit. Tum etiam, quia non fuit necessarium Christo, neque nobis utile, quod hac scientia aliquo tempore careret. Ad id ad Heb. 10. dici, quod Christus ingrediens mundum (id est naturam humanam induens) dixit, *hæsan & oblationem noluisse, corpus autem apræstis mihi &c.* tunc dixi ecce venio. At hæc cognoscere non potuit anima Christi per scientiam acquiritam a rebus ipsis acceptam, aut per species abstractas à phantasmatibus; quia potentia ejus exteriores, dum erat clausus in utero virginis, non poterant ejusmodi species recipere: Ergo id cognovit tunc per scientiam infusam.

Dices, Anima Christi à principio suæ Incarnationis habuit actum visionis beatificæ: Ergo in eo instanti non potuit elicere actum scientiæ naturalis. Probatur Consequentia, implicat enim unam potentiam duas operationes simul elicere, ut sæpe docet S. Thomas.

Respondeo ex doctrina ejusdem S. Doctoris 1. p. qu. 78. art. 7. ad 2. unam eandemque potentiam posse duas operationes, quarum una ad alteram referatur, eique aliquo modo subordinetur, simul exercere: sicut enim voluntas simul & semel finem intendit, & media eligit intellectus simul principia cognoscit, & conclusiones ex illis infert: scientia autem infusa animæ Christi, cognitionis beatificæ, ad quam consequitur, quodammodo subordinatur; atque adeo actum utriusque in intellectu Christi simul esse non repugnat, sicut de cognitione matutina & vespertina Angelorum docent communiter Theologi cum D. Augustino.

ARTICULUS II.

An omnia objecta naturalia ab anima Christi per scientiam infusam supernaturalem distincte & in particulari cognita fuerint?

Articulo præcedenti ostensum est, duas scientias per se infusas in anima Christi fuisse, naturalem scilicet & supernaturalem; nunc essentiam scientiæ infusæ supernaturalis, quæ præcipue consideratur à Theologis, investigamus; & quia non potest melius alicujus scientiæ quidditas declarari, quam ex objectis, ad quæ terminatur, operæ pretium est, singula objecta,

ad quæ scientia infusa supernaturalis animæ Christi se extendit, declarare; & discutere, an & quomodo Christus per talem scientiam res naturales, entia supernaturalia creata, actus liberos hominum & Angelorum, futura contingentia, totam rerum possibilium collectionem, & denique mysterium Sanctissimæ Trinitatis extra verbum cognoverit? De primo dicemus in hoc articulo, de alijs in sequentibus.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur, & probatur.

Dico igitur: Christus per scientiam supernaturalem infusam omnia objecta naturalia cognovit, non solum in communi, seu secundum rationes communes & genericas, vel specificas, sed etiam distincte, & in particulari, seu secundum propriam & distinctam cuiusque individui rationem.

Prima hujus pars conclusionis est contra Vaz, quem hic disp. 12. cap. 1. num. 5. ubi licet doceat fuisse objecta naturalia per scientiam per se infusam ab anima Christi cognita, loquitur tamen de scientia per se infusa naturali, per supernaturalem verò negat cognosci. Secunda verò est contra Scotum, Gabrielem, & Almainum, negantes animam Christi per scientiam inditam res naturales distincte & in particulari, seu secundum rationes individuales & numericas cognovisse.

Probatur ergo prima pars contra Vaz quem ratione D. Thomæ hic art. 1. ad hanc formam redacta. Decuit ut non solum potentia naturalis, sed etiam obediens animæ Christi ad actum reduceretur, ne maneret imperfecta, utpote relicta in potentia: Atqui anima Christi Domini erat in potentia obediens ad cognitionem omnia objecta naturalia per scientiam supernaturalem infusam: Ergo tali scientia cognovit omnia entia naturalia. Major patet ex dictis articulo præcedenti, Minor verò suadetur primò. Entitas materialis potest per actum spiritualem attingi, & de facto terminat spiritumalem cognitionem, seu intellectualem: Ergo entitas naturalis terminare poterit cognitionem supernaturalem.

Secundò, esto objectum non possit sui cognitionem excedere excellu ordinis, quo circa nec entitas spiritualis materiali cognitione, nec supernaturalis naturali possunt cognosci, non tamen necessarium est quod ab illa non excedatur, unde finita entitas terminare potest infinitam cognitionem, & creata incretam: Ergo naturalitas objecti non impedit, quin supernaturalem cognitionem in seipso terminare possit.

Terziò, Esto objectum naturale sub ratione naturali objectiva nequeat attingi per cognitionem supernaturalem, bene tamen sub ratione supernaturali objectiva: At in entibus naturalibus est dabilis hæc ratio objectiva, ut ex dicendis constabit: Ergo entia naturalia supernaturalem cognitionem terminare possunt.

Potest etiam eadem pars aliâ ratione suaderi: Congruum enim fuit, ut anima Christi Domini altiori & perfectiori cognitione objecta naturalia cognosceret in seipsis, quam cognoscuntur ab Angelis; nam sicut anima Christi ratione unionis ad Verbum perfectior sit naturâ Angelicâ, ita perfectior debet habere scientiam: Sed si illa

FFFF 3

non